

et ex aduerso  
 aliqui etiam nostra aetate  
 saeculi spatium et ultra viuendo complent:  
 ita fieri potest,  
 vt velocius in aliis natura ad maturitatem et finem properet,  
 in aliis tardius;  
 cuius ratione habita,  
*non omnes aequè assequi perfectiones naturales,  
 nec in omnibus eodem vitae suae tempore vires remittere,*  
 recte Galenus obseruauit; †)  
 quae forsàn etiam est causa,  
 cur in climactericis annis statuendis  
 alii numerum septenarium, alii nouenarium praetulerint.  
 Neque obest quidquam,  
 multos multorum valetudini, aut fortunae noxios,  
 multos multis funestos annos esse,  
 qui climacterici non sunt.  
 Neque enim quae dignitati hominis, aut facultatibus accidunt,  
 aut felicitatem eius externam augent, vel minuunt,  
 ad annos pertinent climactericos,  
 ex vi hominis insita, vti ex fonte, fluentes;  
 cum morbis autem, vel morte hominem conflictari  
 annis non climactericis,  
 si animi aegritudo, si ira,  
 si motiones mentis vehementiores,  
 si intemperantia victus Venerisque,  
 si casus fortuiti, aut violentia externa, aut res aliae  
 damnum inferunt valetudini, aut vitae,  
 quid miraberis?  
 aut quid inde contra annos climactericos infers?  
 Naturam enim,  
 in operationibus suis non turbatam  
 a causis externis internisque,  
 secundum annos climactericos agere  
 in incremento hominis et decremento  
 docui; vnde

†) de sanitate tuenda l. 6. c. 2.